





DISPUTATIO THEOLOGICA

De Bonis Operibus

Ex Matth. V. vers. 16.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, glorificentq; patrem illum vestrum, qui est in caelis.

SUB PRÆSIDIO

VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI
ATQVE EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS DEUTSCHMANNI,

SS. Theol. Doct. ejusdemq; P.P. longè celeberrimi, Alumnorum Electo-
ralium Ephori gravissimi p. r. Facultatis suæ DECANI
dignissimi

Dn. Patroni, Præceptoris atq; Promotoris studiorum summo honore ac cultu sempiternum colendi, prosequendi,

IN ALMA LEUCOREA

Publico eruditorum examini

proposita

à

M. CHRISTIANO BEATO KENZELMANNO,

Trebizæ Saxone Serenis. Elect. Sax. Alumno

AUTORE & RESPONDENTE

IN AUDITORIO MAJORI

XV. Cal. Junii Anni 1683.

 WTITENBERGÆ, Typis Viduæ AUGUSTI BRÜNINGII.

V I R O

*Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo
atque Excellentissimo*

**DN. SANUELI BENEDICTO
CARPZOVIO,**

**SS. Theol. Doct. Consummatissimo Ecclesiæ
Dresdensis Pastori longè Meritissimo ejusdemq; ac Vicinarum Superin-
tendenti Gravissimo, Prot-Hagio Synedrii Ecclesiastici Electoralis
Saxoniciq; Consiliario Spectatissimo**

*Dn. Patrono, Promotori atq; Evergetæ æter-
nùm suscipiendo, venerando*

Specimen hoc Academicum

**Tàm ad declarationem debitæ gratitudinis quàm ulteriorem
studiorum suorum commendationem submisit offert
& dedicat**

Vestr. Sum. Rev. Magnif.

Subjectissimus Cliens

AUTOR.



I. N. J.

Magnam fanè circa hanc ma-
teriam impendère operam Viri incompa-
rabiles, omniumq; temporum consumma-
tissimi, eâ quidem copiâ ac perspicuitate, ut
ne minimum quidem intermisisse videan-
tur, & propterea materia hæc per se perspicua inerudita
meâ non indigeat opellâ, attamen assistente divini Nu-
minis gratia cramben bis coctam iterum recoqui ad ani-
mam proposui, & materiam hanc, quantum quidem vi-
res meæ, in tam arduo labore tenues, imò tenuissimæ per-
miserint, pertractare brevissimis juxta dicti istius Christi
ductum Matth. 5. v. 16. sic luceat &c. institui, non dubi-
tans, quamvis labor hic nec ipsi materiæ nec illorum, qui
pervolverint eum, expectationi responsurus sit, tamen à
nonnullis laudem aliquam conatum esse consecuturum.
Et ne multis utar circuitionibus, ad rem ipsam me
accingo.

§. I. **E**ximiam certè calumniam de studio bonorum Ope-
rum interdicto Pontificii in Ecclesiam nostram
Evangelicam introduxere, sicut ipsa notat Aug. Conf.
Art. 20. pag. 15. & 16. dum non dubitarunt, doctrinam no-
stram traducere, tanquam prohibentem B. Opera. Quam
calumniam insignem graviter ac nervosè refutarunt Viri
olim de Ecclesiâ Christi meritissimi, & hodierno quoque
tempore præclare à Consummatissimis nostrorum tem-
porum Doctoribus Theologis refutatur ex innumeris pènè
sacri codicis dictis, è quibus bona opera juxta Lutherano-
rum publicam doctrinam ut necessaria introducuntur,
A 2 inter

inter quæ & locum obtinet dictum Christi adductum, ex quo evidentissimè, bona opera non esse prohibita, sed potius mandata, convincitur.

§. 2. Dictum hoc Christi de B. O. ordine si evolvendum, & nominalis & realis observetur tractatio necesse est, quarum prima circa nomen versatur, & absolvitur onomatologia, altera circa rem ipsam, de quâ sermo est, & declaratur pragmatologia.

§. 3. Onomatologiam quod attinet, illa juxta methodum Philologorum tria respicit, Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam, illa nominis originem, ista ambiguitatem vocis, hæc deniq; æquipollentiam designat.

§. 4. Originem, s. Etymologiam Bonorum O. quod concernit, de quibus Christus in hoc dicto loquitur, dicuntur ista ita ab operando, & non externas solum, ac in oculos incurrentes actiones, sed etiam internos affectus cordis, & motus voluntatis designant, & ideò de totâ renatorum novâ obedientiâ, tam internâ, quàm externâ, tam habituali, quàm actuali, piorum justitia accipiuntur. Appellatione enim B. Operum Scriptura complectitur etiam renovationem interiorem, bonam voluntatem, bonam conscientiam. Cur autem sanctis Dei hominibus appellatione Operum potius, quàm habituum, vel affectuum, uti placuerit, tribus argumentis à Gerharo Theologo olim summo probatur; quæ hic allegabimus: (1) cum omnis laus veræ virtutis in actione consistat, cumq; (2) opera externa notiora internis qualitatibus & affectibus, deniq; (3) cum sola renatorum opera sint Bonorum Operum encomio digna; non renatorum opera moraliter, ac juxta Theologiam in speciem bona sunt, vel coram Deo umbræ tantum ac larvæ virtutis, imò peccata, ut disertè Apostolus Rom. 14. v. ult. quod non ex fide est, peccatum est, vocat. Bona dicuntur à beare, quod idem est ac juvare, prodesse.

desse, felicem reddere, non quod nos beent, aut hodie beare possint, sed quia ut opera bona à renatis ceu subjectis bonis, ut effectus fidei proficiuntur, dum bene peraguntur à renatis. Non enim juxta Regulam Theologorum, ex nominibus, sed ex adverbis opera bona judicanda sunt. Quando enim homo bonum opus nos bene facit, non est dicendum bonum opus. Bona dicuntur non absolute, sed in suo genere; non ex dignitate operantis intrinsicâ, sed ex perfectione infinitâ meriti Christi, omnes operum nostrorum imperfectiones perfectè obtegente. Bona dicuntur, quia fides per ea ενεργημένη Gal. 5. v. 6.

§. 5. Evoluta Etymologia B. O. Homonymiam agredimur. Multifariam B. O. accipiuntur. Sumuntur vel in sensu divino, quatenus eminenter Deo competunt, præsertim Spiritui Sancto, cui studium B. O. propter opus sanctificationis peculiariter appropriatur. Spiritus S. enim omnia in omnibus operatur I. Cor. 12. 6. Spiritus S. facit, ut in Dei præceptis ambulemus Ezech. 36. 27. vel in sensu Angelico, Angeli enim opera peragunt, dum λειτουργία Deo ministrant, ipsum φαλαγγισία celebrant Es. 6. 3. dum Jussa ejus expediunt, & hominibus voluntatem Dei annunciant, dum pios custodiunt in omnibus viis Dei Ps. 91. 11. Heb. 1. 14. Tandem in sensu humano, quo referuntur ad homines, quibus competunt B. O. Naturalia, vel Physica, Moralia vel Ethica, Civilia vel Politica, Domestica vel Oeconomica, Artificialia vel Technica. Uti Magnus Dn. D. Præses hanc homonymiam prolixè ostendit in explicat: Compendii Hutteriani. Neutrum autem horum omnium hoc loco explicandum venit. Considerantur etiam h. l. non κακοζηλίας, quæ sine præcepto divino, nulla cum utilitate proximi, sed tantum vel superstitionis vel ostentationis gratiâ suscipiuntur. Neq; εθελοσπονδία, & electitii cultus, qui humano saltem judicio

& intentione privatâ adinventi sunt: de his enim dictum est frustra me colunt mandatis hominum. Matth. 15. v. 8. 9. Neq; etiam opera gentilium, etiamsi in suo genere bona & honesta: ea enim coram Deo peccatis accensentur, quia absq; fide sunt, de quibus dictum est Ps. 16. non libabo libamina eorum, nec adsumam nomen eorum in labia mea. Sed tandem opera Spiritualia, vel Theologica, quæ ad normam legis divinæ præscripta, ex operatione Spiritus S. renati s. fideles quotidie peragunt, quæ ex fide fiunt, quæq; gloriæ Dei & utilitati proximi inserviunt, juxta illud Ezech. 20. 19. in præceptis meis ambulate & judicia mea custodite, & facite ea: Et sabbatha mea sanctificate, ut sit signum inter me & vos & Matth. 5. 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur & Gal. 5. 6. fides per charitatem operatur. In hoc sensu, videlicet spirituali & Theologico, h. 1. Bona Opera proponuntur. Prolixè illa opera quæ renati peragunt, ostendit B. Chemnitius Art. de B. O. Quæst. 2. Exam. decret. Concil. Trident. pag. 176. seqq.

§. 6. Titulos varios honorarios B. O. enumerat sacer codex, eosq; vel simplices, vel typicos, vel conjunctos. Smplices, ubi vocantur donum per gratiam Rom. 5. 15. Nova creatura in Christo 2. Cor. 5. 17. Gal. 6. 15. Renovatio, Ephes. 4. 37. Colof. 3. 10. Novitas vitæ Rom. 6. 4. Novitas Spiritus Rom. 7. 6. Cor novum & mundum Ps. 51. 12. Novus homo Ephes. 2. 15. & plures alios, quos omnes allegare multum temporis & spatii requireret. Typicos si inspiciamus, B. O. nominantur, sacrificium justitiæ, hostia viva, Deo placens, spiritualis Ps. 4. 6. sacrificatæ sacrificium justitiæ Ps. 51. 19. Quemadmodum enim sacerdotes T. V. offerre debebant sacrificia, ita & nos, à Christo Jesu facti sacerdotes, Deo & Patri Apoc. 1. 6. offerimus spirituales hostias acceptabiles Deo per, Christum 1. Pet. 2. 5.

Con-

Conjuncti tandem sunt ; facere justitiam Deut. 27. 10. facere mandata Dei Lev. 20. 8. ut alios ejusmodi titulos honorarios phrasibus conjunctis denotatos, quibus B. O. insigniuntur, sicco prætereamus pede. Vid. plura in Gerh I. c.

§. 7. Missa evolutione nominali, s. onomatologia progressum facimus ad tractationem realem, sive pragmatologiam quæ & definitione, & divisione absolvitur.

§. 8. Definitionem exhibet ipsum dictum Christi, siquidem ex ipso & genus, & differentia, à causis petita, nec non affectiones B. O. demonstrari ac declarari possunt.

§. 9. Genus in hac definitione sunt actiones, ad quas animum intendit Christus vocabulo lucis, dum dicit: sic luceat lux vestra; nam ut lucis naturalis actio consistit in lucendo, vel illuminando, sic etiam lucis spiritualis actio consistere dicitur in mystica *ἐνεργείᾳ*, qua vita luce charitatis, vel bonis operibus illuminatur: Sumuntur autem actiones h. l. latè, & generaliter, tum pro *ἐνεργείᾳ* quatenus sunt in fieri, sive ipsâ operatione, tum pro *ἐνεργήματι*, seu *δοτελείσματι*, quatenus jam effectæ.

§. 10. Differentia desumpta est à causis; causæ autem istæ sunt vel internæ, vel externæ. Internæ, materia & forma, externæ efficiens & finis.

§. 11. Materia B. O. sunt actiones internæ & externæ, seu, uti B. Dn. D. Jacob. Martini th. 16. ex Bucan. pag. 331. loquitur, res ipsæ, circa quas ejusmodi opera versantur, & quas tractat, præscribitq; lex moralis, uti Paulus ostendit Phil. 4. 8. fratres, quæcumq; pudica, quæcumq; vera, quæcumq; justa, quæcumq; sancta, quæcumq; amabilia, quæcumq; bonæ famæ, si qua virtus si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Neq; enim ulla res creata, jus habet instituendi aliquid, quo Deus colatur, uti Christus testatur Matth. 15. 9. sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

§. 12.

§. 12. Forma bonorum operum duplex est vel absoluta, sive legalis, vel relata, sive Evangelica. Hæc essentialis, illa accidentalis. Forma absoluta legalis essentialis est *ἐννομία*, seu conformitas cum lege Dei imò ipsa lex moralis, quatenus in sacris literis est revelata, secundum quam omnia nostra opera sunt instituenda, & ea opera quæ aliter peraguntur, quæ legem divinam negligunt, & à normâ recedunt, non bona sed mala opera jure nominantur. Nullum enim opus verè dici potest bonum, nisi mandatum sit à Deo, qui solus omnis boni normam ac regulam in lege sua, cujus Epitome est Decalogus, perfectissimè proposuit: Deut. 12. 8. Non faciat quisq; quod in oculis ipsius rectum videtur: sed quod præcipio tibi, hoc tantùm facias, ne addas quicquàm nec minuas.

§. 13. Graviter hinc errare Pontificios, qui libet evidenter videt, dum varios suos cultus electitios, consilia de cœlibatu, de virginitate, de fictitiâ paupertate, obedientia &c. pro perfectissimis Bonis operibus venditant.

§. 14. Forma altera relata, seu Evangelica, & quidem accidentalis (quæ aliàs & Causa instrumentalis recipiens à Balduino in Ind. Generali Epl. Paul. appellatur, aliàs & à Summè Rev. Dn. D. Præs. Causa Organica, si non omni, tamen certo quodam respectu, in Theol. suâ Pos. Pol. loc. de B. O. th. 3.) fides est, ex quâ procedere debent Bona opera. Quicquid non est ex fide peccatum est. Rom. 14. v. ult. sine fide impossibile est placere Deo. Heb. 11. 6. & sine fide etiam illa, quæ videntur Bona opera in peccatum vertuntur Aug. 1. 3. ad Bonif. c. 5. Tom. 7.

§. 15. Excusis B. O. causis internis, jam justo ordine externæ ventilandæ veniunt, nîm. Efficiens & Finis. Est autem causa efficiens duplex aliâ primariâ eaq; vel principalis, vel minus principalis, seu instrumentalis, aliâ secundaria,

§. 16.

§. 16. Causa efficiens primaria Deus est, præfer-
tim ipse Spiritus S. cui B. O. studium propter opus
sanctificationis peculiariter appropriatur, qui mentem
verbo illuminat, & voluntatem spiritualiter renovat Ps.
51. 12. dum autem Spiritum S. B. O. causam efficientem ap-
pellamus, intelligimus non solum Spiritum S. sed simul
Deum Patrem & Filium, siquidem idem est, sive unam,
sive tres nominemus personas, & præterea Spiritus S. unus
est cum Patre & Filio Deus, ideoq; Spiritus S. disertâ men-
tione, non excluduntur Pater & Filius, sed per appropria-
tionem quandam Spiritui Sancto id tribuitur, quod est to-
tius SS Trinitatis opus. Patri adscribuntur à Filio Joh. 5.
17. Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Filius
sibi ipsi appropriat Joh. 15. 4. 5. dicens: Manete in me: &
ego in vobis, sicut palmes non potest ferre fructus à se-
memetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi manser-
itis in me: & nostro in dicto se non minus ut causam effi-
cientem introducit, dum ad B. O. facienda nos incitat: sic
luceat lux vestra &c. Spiritus S. tandem dicitur causa effi-
ciens, quia Spiritus S. in viâ rectâ B. O. nos ducit. Ps.
143. 10.

§. 17. Causa efficiens Minus principalis vel instru-
mentalis (& ut cum Balduino loquar, offerens) B. O. est
verbum & quidem propriè verbum Evangelii, non tamen
ita, ut penitus excludantur præcepta legis; per ea enim
prius corda hominum præparantur, ut de hinc opera
Evangelii eo melius radices agere queant, quod & Chri-
stus non solum hoc loco, sed & alibi testatur: verba, quæ
ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt Joh. 6. 63. &
Paulus Gal. 3. 24. lex pædagogus noster fuit in Christo, ut
ex fide justificemur. uti §. 12. vidimus.

B

§. 18.

§.18. *Causa efficiens secundaria s. subjectum B. O. sive principium operans bonum est homo justificatus, agens hic ex viribus supernaturalibus, in renovatione acceptis Rom. 7. 22. cap. 8. 14. Ephes. 2. 10. Homines renati sunt subjectum; soli enim illi, qui ex Deo nati sunt, & à Dei Spiritu regeneriti, opera verè bona faciunt.* Alloquitur quidem in specie Christus Apostolos suos, & ipsis imperat, ut lux prædicationis, quæ verbo adstruitur, exemplo bonæ operationis confirmetur. Ne ut Pharisaorum doctrina, veritas Evangelii contemnatur, quæ dicebant, & non faciebant, imponebant gravia & importabilia, nolabant autem ea suo digito movere. De quo Aug de doctr. Christ. lib. 4. cap. 27. *Qui sapienter & eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit multos dicendi studio, quamvis animæ suæ inutilis. Multis itaq; profunt dicendo, quod post tamen non faciunt: sed longè pluribus prodescent, faciendo quæ dicunt.* In Genere autem Christus omnibus dicit: *Luceat lux vestra, sed non multi huic voci obtemperant, non igitur omnes etiam constitui possunt subjectum B. O. Sola enim arbor bona fert fructus bonos, putris autem arbor fert fructus putres. Non potest arbor bona fructus malos ferre, neq; arbor mala fructus bonos edere Matth. 7. 17. 18. Dicitur homo causa à Nonnullis propinqua, quia à voluntate ejus, qui regeneratus, quatenus ea est renovata, immediatè profluunt B. Opera. Causa secundaria dicitur, quia potentia, vel voluntas illa non à propriâ virtute, sed à Spiritu S. excitata, & ad operandum habilis reddita; nempe, qui adest, fervat & agit in convertis B. O. Himmel. Syntag. Disput. p. 267. 268. Dicitur principium operans, non quod ipse homo vires habeat agendi per se, sed in Christo per Spiritum S., & quia vires istas exerit, & ad usum transfert.*

§. 19.

§. 19. Antequàm recto tramite ad causam finalem pedem ponimus, prius breviter de causa meritoria B. O. dicemus. Est autem illa ipse Christus totius generis humani Redemptor, qui & ipse opera tanquam efficiens causa requirit, tanquam causa meritoria vel Mediator instruit, atq; perficit in aureo hoc à se prolato dicto: & præterea aspiciamus in autorem fidei & consummatorem Jesum, inquit Epistola ad Heb. 12. 2. hinc Paulus dicit Ephes. 2. 10. conditi sumus in Christo Jesu ad bona opera, quæ preparavit Deus, ut in eis ambulemus. Hinc A. C. Art. 6. de B. O. Qui confidit, operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum, & gratiam, & quarit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cum Christus de se dixerit; Ego sum via, veritas & vita.

§. 20. Hinc refutantur Sociniani, docentes rectitudinem & bonitatem operum non pendere à fide in Christum Jesum; it. Arminiani, qui existimant doctrinam de gratuita peccatorum remissione, & justitia per fidem Jesu Christi avocare homines à studio B. O. Cum Multo magis è contrario dicamus doctrinam de B. O. per fidem Jesu Christi nos instigare potius, ut eò magis operibus innitiamur propter Christum.

§. 21. Restat ut brevisimis adhuc in contemplatione cursorum de causa finali agamus: egregiè autem hanc nobis declarat Christus & duplicem eam constituit, partim erga Deum, partim erga proximum.

§. 22. Finis bonorum O. ultimus, summus s. principalis, Deum respicit & in ultimis dicti nostri verbis continetur: ut patrem nostrum coelestem glorificemus. Finem autem hunc principalem introducit ad inanem gloriam repellendam: non enim in B. O. debemus opinionem vulgi & propriam, sed Dei potius quærere gloriam, uti in Concordia sua Evangelica Guido Carmelit. ad Matth.

cap. 5. observat pag. 160. Non enim nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam Ps. 115. 1. Quicquid non dirigitur ad hunc finem, id quamvis videatur bonum, tamen non est verè bonum opus, inquit August. Non gloriatur sapiens in sapientia sua, neq; gloriatur dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur, quod me sciat, & cognoscat, dicit Dominus Jer. 9. 23. sumus enim ideò per Christum redempti à peccatis, ut in posterum serviamus Deo, justitiæ, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Rom. 6. 4. quia Spiritus S. ideò nos per baptismum regnavit, & sanctificavit, ut abjectis peccatis novum hominem induamus, & sectemur justitiam & sanctitatem Eph. 4. 24. Ut glorificent B. O. nostra Deum. Matth. 5. 16. ut declarem nostram gratitudinem erga Deum. Rom. 12. 1.

§. 23. Hinc colligimus: Quæcunq; opera etiam per se bona, & à Deo præcepta, non fiunt debito fine, in gloriam Dei, per accidens fiunt peccata. Actiones enim finibus judicantur. Hinc cum Christus dicit; luceat lux vestra coram hominibus, ut videant, non vult, ut cum Pharisæis ac Monachis ideò opera faciamus, ut videantur ab hominibus. Matth. 6. 1. sed potius ut ad gloriam Dei, & utilitatem proximi dirigantur.

§. 24. Finis alter minus principalis secundarius, & intermedius concernit partim proximum, partim nosmet ipsos. Finis proximum concernens etiam in hoc dicto Christi proponitur, & nil aliud intendit, quam officiis nostris proximum juvare, & sublevare, & si res requirat etiam animas ponere pro fratribus Matth. 22. 39. hinc dicitur, ut coram hominibus opera bona faciamus; quò videant nim. & sensu, & usu nostra bona opera, cum in scripturis

pturis ⁷⁰ videre practicè sæpius usurpetur, nim. ut opera nostra videant, eadem ad usum suum adhibeant, & in hoc usu salutis suæ destinato maxime gaudeant, Plura Vid. in Himmel.

§. 25. Finis secundarius nosmetipsos concernens nim. fulgor Christianæ dilectionis, luceat lux vestra, nam fides nostra lucet in igne charitatis, seu dilectionis; & honore spiritualis adoptionis, ut videamur, tanquam filii cælestis patris per opera bona (1) quia regenerati sumus: ex aqua & spiritu, ut simus nova creatura in Christo Rom. 6. 2. (2) quia sumus filii lucis, exornemus igitur nostram professionem juxta Christi mandatum in hoc dicto. (3) ut edamus veros fructus fidei, & demonstremus nostram vocationem. (4) ut discrimen appareat inter Christianos & hypocritas, fidem vivam & mortuam. Plura videantur in Himmel, Syntag. pag. 170.

§. 26. Hactenus de definitione, jam unico saltem verbo de divisione B. O. dividuntur illa passim à Theologis variè, partim in opera legis & Evangelii, justitiæ & gratiæ, & hæc distinctio ex causa efficiente est desumpta: partim, ratione subjecti, nempe hominis renati, in interna & externa; partim ratione objecti in opera prioris & posterioris tabulæ: partim ratione diversæ bonitatis quædam opera dicuntur moraliter & civiliter bona, quædam verò spiritualiter, Plura vid. in Gerh.

§. 27. Restat ut Colopsonis loco aliquas hujus materiæ affectiones attingamus.

§. 28. Necessaria esse B. O. ex ipso dicto, & mandato Christi dilucidissimè patet; Loquitur enim in modo potentiali, luceat lux vestra; sciatis, esse severissimum meum, patrisq; mei mandatum, ut in bonis operibus ambuletis. Plura de hac necessitate videantur in Expl. Compend. Hutt. Summè Reverend. Dn. D. Præsidis.

§. 29. Objiciunt quidem hoc loco Pontificii ex doctrina A. C. sequi bona opera non esse facienda, propterea quod docet, hominem justificari solâ fide sine operibus; item bona opera actum justificationis non ingredi. Verum committunt h. l. fallaciam causæ, unius enim rei variæ possunt esse ut fines ita & causæ; licet igitur non idè facienda ut homo iis justificetur, ac vitam æternam promereatur, tamen quia à Deo sunt mandata.

§. 30. Necesitas autem hæc non est coactionis. Deus quidem B. Operum studium non permittit liberum, sed ferò svadet & urget, ut fidem operibus bonis testentur & declarent, interim tamen non armatâ manu nos ad faciendâ bona opera cogit; bona enim opera à Spiritu spontaneo proficiscuntur; non enim homo justificatus impellitur à principio externo, ut præter & contra voluntatem benè operetur.

§. 31. Necesitas etiã non ita accipiendâ, qf. uti Interemistæ & Majoristæ docent, bona opera adèò necessaria sint ad salutem, ut nemo sine bonis operibus salvatus sit, aut salvari possit. Necesaria esse bona opera ad salutem Pseudo Apostolorum assertio est, Act. 15. 1. 2. 3. 4. & omnibus Scripturæ dictis planè contrariatur: Imò ipsum exemplum latronis in cruce longè aliud docet, utpote, qui, licet bonorum operum extremè fuerit inops, tamen salvatus esse depredenditur Luc. 23. 43.

§. 32. Impudentissimè econtra Johannes Islebius Agricola, & ejus successores urserunt bona opera legis ad salutem esse perniciofa, legem ad Curiam, non Ecclesiam pertinere &c. siquidem non sequitur, quicquid non facit ad salutem consequendam, illud est perniciosum, alio enim

enim respectu necessarium esse potest. Vid. Kromay. Theol. Pos. Loc. XII. de B.O. pag. m. 682. ad finem.

§. 33. Hinc B.O. non libera cum Andrea Musculo, nec ad salutem perniciose cum Nicolao Amsdorffio statuenda sunt.

§. 34. Alteram affectionem B.O. facimus Imperfectionem. Opera qualia qualia sint hominum renatorum & fidelium, non tamen attingunt intrinsecæ perfectionis gradum, ita ut coram Deo perfecta censeantur. Evincit hoc illud Christi Luc. 17. 10. Omnia si feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Sumus ut immundus omnes nos, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ Es. 64. 4.

§. 35. Impingunt hic Anabaptistæ & Schvvenckfeldiani eò perfectionis assurgere posse, censentes hominem renatum, ut sit sine omni labe: contrarium jam demonstratum ex adductis locis, ita Arminiani docentes: à regeneratis præstari posse opera, quæ ita perfecta sint, ut nullo carnis nostræ vitio sint inquinata, neq; ullis digna pœnis, sed longe aliud demonstrat Paulus 2. Cor. 3. 5. non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Tu Domine, omnia opera nostra operatus es in nobis Es. 62. 12.

§. 26. Opera hæc nostra minime vitam æternam mereri possunt. Siquidem non ex operibus justis, quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia salvavit nos. Tit. 3. 5. gratia sumus salvati per fidem (& hoc non ex nobis, Dei enim donum est,) non ex operibus ne quis gloriatur. Eph. 2. 8. reservatio secundum electionem gratuitam facta est. Quod si per gratiam, jam non ex operibus: alioquin gratia jam

jam

jam non est gratia, fin ex operibus, jam non est gratia, alio-
quin opus jam non est opus.

§. 37. Falsò igitur statuit Concilium Tridentinum
opera mereri vitam æternam, ut & simpliciter repetunt
ac stabiliunt scholasticorum commenta de merito con-
digni, quod sc: opera in hac vita in charitate facta, ex con-
digno mereantur vitã æternam; hoc est, quod vita æterna
ex debito justitiæ divinæ retribuenda sit bonis operibus.

§. 38 Bona opera esse meritoria vitæ æternæ commu-
nis est Papistarum opinio; nonnulli etiam blasphemant
esse satisfactoria, ut Gregorius de Valentia Tom. 3. disput.
7. Q. 20. de indulgentiis.

§. 39. Arminiani docent, Deum conferre piis vitam
æternam, ut mercedem operibus ipsorum debitam. Si
autem salvamur Dei gratia, Ephes. 2. 8. 9. fide, & non ex
operibus. Gal. 2. v. ult. satis evidenter eò astruitur, quod
operibus nostris vitam æternam mereri hautquaquam
possimus.

§. 40 Placent autem nostra B.O. Deo, & habent pro-
missionem hujus & futuræ vitæ I. Tim. 4. 8. dignitas acces-
soria ex fide accedere debet, de quã §. 14. Id est, meritum
Christi omnes operum nostrorum imperfectiones perfe-
ctè tegens verã fide apprehendi debet, inq; eã fide opera
nostra peragamus.

§. 41. Multæ aliæ B.O. affectiones recenseri possent,
sed quia brevisimis de hâc materiã differere proposuerã,
igitur hîc subsisto, & de reliquis B.O. affectionibus, lectorẽ
remitto ad disput. Theol. de B.O. ex Aug. Confes. à Magn.
Dn. D. Præside, methodicè repetitã & prolixè conscriptam.
Interim Deo T.O.M. gratias submissas pro concessã gratia
refero, dicens ex intimis cordis visceribus.

SOLI DEO SIT GLORIA !



